

THESES
EX UNIVERSA PHILOSOPHIA
QUAS
PENES SEMINARIUM CANARIENSE

D. LEONTIUS JORDAN

SEMINARII ALUMNUS

ARGUMENTIBUS


D D. Marrero Franc. Romero Franc. Dominguez Mich.

C. S. A.

PROPUGNABIT

IV KALENDAS JULII

ANNO MDCCCLXIV.



FACTA CUILIBET POST TERTIUM

OBIICIENDI FACULTATE



MANE HORA X.

THESE

EX UNIVERSA PHILOSOPHIA

THESE

EX UNIVERSA PHILOSOPHIA

6712

RENEE SEMINARIUM CANARIENSE

D. Laurentis Jordan

SEMINARI ALIIS

AGGREGATIS

D. D. Martini Franco, Romero Franco, Dominguez Mich.

E. S. A.

PROPUGNABIT

IV KALENDAS JULII

ANNO MDCCCLXIV

1864

FACTA CUI LIBET POST TERTIUM

OBICIENDI FACULTATE

MANE BORA X.

THESES

EX UNIVERSA PHILOSOPHIA

EX PRIMA LOGICAE PARTE.

I.

Philosophia definiri potest: scientia rerum per causas, vel rationes ultimas naturali lumine comparata.

II.

Tres sunt mentis operationes: simplex apprehensio, iudicium, et ratioeinium, quarum natura declaratur.

III.

Principium, quo omnis innititur ratiocinatio est: dici de omni, dici de nullo; regulae vero quibus est regenda, ut rite procedat, illis versiculis, terminus esto triplex etc. continentur.

IV.

Argumentandi varia sunt genera; omnium praestantissima argumentatio, ad quam ceterae reducuntur, est syllogismus: quare falsa est Baconi sententia de inductionis praestantia.

EX ALTERA LOGICAE PARTE.

V.

Veritas cognitionis est: conformitas actus intellectus ad rem prout in se est. Haec autem veritas proprie et perfecte in iudicio, inchoative in simplici apprehensione inest.

VI.

Sensus, si nullum adsit impedimentum, falli nequit quoad perceptionem sensibilis proprii; circa sensibile commune sensus seorsum accepti falli possunt, non item si coniunctim sumantur; circa sensibile vero per accidens facilis est error.

VII.

De veracitate conscientiae, ut etiam de veracitate intelligentiae

in suis iudiciis proferendis ambigi nequit: in illationibus autem deducendis mens nostra falli nequit per se, sed tantum per accidens falli potest.

VIII.

Universale criterium veritatis neque est auctoritas vel consensus humani generis, neque idea clara et distincta Cartesii, sed evidentia est rei obiective et ontologicæ considerata.

EX METAPHYSICA GENERALI
SEU ONTOLOGIA.

IX.

Omne ens est unum, verum, et bonum. Quare nulla res per se falsa esse potest, sed tantum per accidens; neque vero malum positiva quarundam rerum natura est, ut Manichæi et Priscillianistæ autumabant, sed in privatione consistit.

X.

Interna rerum possibilitas neque ab intellectu nostro, neque a rebus in mundo existentibus, sed a Deo pendet; nullo autem pacto a divina potentia, aut a voluntate divina; sed proxime a divino pendet intellectu, remote a divina essentia.

XI.

Notiones explicantur entis necessari et contingentis, immutabilis et mutabilis, aeterni et temporanei, simplicis et compositi, infiniti et finiti: tum ostenditur nullam creaturam esse posse infinitam quoad essentiam, itemque magnitudinem ac multitudinem actu infinitam repugnare.

XII.

Tum spiritus creati, tum res corporeae vera fruuntur activitate, quare hae res effectuum, qui a nobis in corporibus conspiciuntur, non sunt occasiones sed causæ, hi autem effectus nequeunt omnes reduci ad motum localem.

EX METAPHYSICA SPECIALI.

EX COSMOLOGIA.

XIII.

Mundus neque ex fortuito atomorum concursu prodire, neque

ex Dei substantia manare, neque educi potuit ex praeiacente aliqua materia infecta et a se existente; sed a Deo factus est per veram creationem, seu per productionem ex nihilo tum sui, tum subiecti.

XIV.

Quamvis absolute perfectus non sit, ut in Germania Leibnitius, in Gallia Malebranche, et Optimistae omnes opinantur; est tamen relative perfectus.

XV.

Leges naturae non ita sunt hypothetice necessariae, ut nec in aliquo raro casu derogationem pati possint. Quare miraculum possibile est.

XVI.

Atomistarum et Entistarum systemata circa corporum essentialem compositionem reiiciuntur, ac cum S. Augustino, cum S. Thoma et scholasticis omnibus peripateticum systema propugnatur.

EX PSYCHOLOGIA.

XVII.

Facultas intellectiva cum facultate cognoscendi sensitiva confundenda non est, neque cum facultate appetendi sensitiva confundenda est voluntas, quae quamvis libertate non gaudeat in appetitione finis, nempe felicitatis ut sic apprehensae, et mediorum quae cum fine necessario connectuntur, vera tamen gaudet libertate arbitrii circa media ad finem seu felicitatem non necessaria.

XVIII.

Anima humana substantia est simplex, spiritualis, immortalis, et corporis humani forma vera, per se, atque immediata. Quare falsa sunt systemata: Causarum occasionalium, Harmoniae praestabilitae, et Influxus physici circa unionem animae rationalis cum corpore.

XIX.

Tum antiquorum, tum recentiorum materialistarum systemata circa idearum originem sunt falsa, itemque falsum est sensista-

6
rum systema, idemque iudicium ferendum est de idearum innatarum systematibus, de rationalismo transcendentali, de traditionalismo, et ontologismo.

XX.

Systema vero scholasticum unicum est, quod ut conforme experientiae et rationi, in hac controversia de origine idearum praeter ceteris est eligendum.

EX THEOLOGIA NATURALI.

XXI.

Argumentis metaphysicis, physicis et moralibus Dei existentia evidenter demonstratur.

XXII.

Deus est ens a se, simplicissimus, perfectissimus. infinitus, tum physice tum moraliter omnino immutabilis, denique immensus.

XXIII.

Eius scientia versatur non modo circa divinam essentiam, verum etiam circa possibilia omnia, et futura omnia tum absoluta, tum conditionata, sive necessaria sint sive libera.

XXIV.

Immediate concurrat in omnibus actionibus creatorum agentium, hic autem concursus physice praedeterminans non est; sed actioni creaturae simultaneus, conditionate datus quoad exercitium agentibus liberis, indifferenter vero quoad specificationem.

A. M. D. G.

... ..
... ..
... ..

... ..
... ..
... ..

EXHIBIT

10

... ..
... ..

11

... ..
... ..

12

... ..
... ..
... ..

... ..
... ..
... ..

EXHIBIT

CANARIAE
TYPIS MARIANI COELLINAE
MDCCLXIV